

313

311

317

vasis, mittentes eos ministris idolorum in templo, et sanabantur. Sic et illi criminosi faciunt hodie. Est enim retro locum inventionis sanctae (115 A) crucis concavitas profunda in rupe, quae repleta est barbis et comis hominum. Et quamvis Sarraceni, Turci, non credant, utuntur tam illo loco et loco Calvariae pro suis superstitionibus. In illo specu est optimus sonus et resonantia, cuius similem non audivi in aliquo choro vel ecclesia. Unde aliquoties, quando solus in eo fui, plena et alta voce cantavi antiphonas de inventione sanctae crucis et hymnos.

307

322

302

362

262

De sanctissimo monte Calvariae, in quo Dominus Jesus
crucifixus pependit.

412

212

Consummatis omnibus, quae agenda erant in specu sacro, mox de loco ascendimus et per ostium templi reingressi sumus, et circumeuntes cantor alta voce inchoavit hymnum: Vexilla regis prodeunt, fulget, etc. Et cum illo cantu usque ad ascensum sanctissimi montis Calvariae venimus; in quem XVIII gradibus lapideis ascendimus ab inferiori ecclesia sursum et superius, in unam lucidam, pulchram, marmore polito et vario ornatam capellam venimus, in qua multae pendent lampades ardentes et tria ibi altaria stabant decorata picturis de opere musaico, et erat capella de opere arcuario facta, in medio columna marmorea sustentante aedificium. Sub arcu testudinis depicti erant David et Salomon. David quidem cum illo versu: qui edebat panes meos magnific. Salomon autem cum illo: sapientiae aedificavit sibi domum; et signa immolationis Isaac. Haec capella est super montem Calvariae aedificata. Cum omnes in eam venissemus, et iam ad oculum nobis ostenderetur petra illa mirabilis, rupes desiderabilis, scopulus amabilis, lapis landabilis, saxum venerabile cum spectabili foramine, in quo sanctissima crux cum Crucifixo fuerat infixa, et haec intueremur, perterriti vehementer et concussi a tanta sanctitate, proni in terram cecidimus in facies nostras, et iam non audiebatur cantus, sed planetus, non hymnus, sed fletus et ululatus. Nullus ibi erat, qui se posset a lacrymis et gemitibus continere; quis enim tam durum cor

Ende

Anfang

